

*Manifestum modo est, Deum non esse agentem univocum, nihil enim aliud cum eo convenit, unde effectus eius est minor quam potentia. Quare non est necesse ut manifestetur sua potentia in producendo infinitum, sufficit enim quod res assimiletur Deo, ut ens per participationem. Ad tertium, dicimus, mundum continere omnia quæ faciant ad suam perfectionem, et cum superius ostensum sit, spacium productum non posse esse infinitum, similiter nec universum, ea etiam, quæ continentur nequeunt esse infinita, neque secundum multitudinem, neque secundum magnitudinem; nec minor gloria ei provenit ex eo, quod non datur infinitum quam si daretur, quoniam quod non est factibile, non erit ad gloriam creatoris.*